Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36485
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

que utique in suo seminuco (?) seorsum manens, sopitis sensibus iacebat insitatis (?) quando anima eius in illa uirilis corporis similitudine luctabatur. Quid hic dicis?

uersatur: corpora erunt, si et ipsa corpus est, que simul in imagine uiri cuncta
illa uersatur. Hic conscriptis uisionibus martyrum dicendum id est aliquid. quo
tu etiam inde testimonium adhibendum putasti. Nempe perpetua sancta uisa
sibi in somnis est cum quodam egyptio in uirum conuersa luctari. Quis autem
dubitet in illa similitudine corporis animam eius fuisse non corpus? Verumne
erat corpus illa uiri similitudo, an non erat corpus, quamuis haberet si
militudinem corporis? Elige quid uelis. Si corpus erat, cur non seruabat ua
gine sue formam? Neque enim in illius feminę carne uirilia repererat
genitalia, unde ita posset sic coartando et ut tu loqueris gelando for
mari. Deinde obsecro te, cum corpus dormientis adhuc uiueret,
quando eius anima luctabatur, in sua uagina erat utique omnibus membris
uiuentibus inclusa, et ueri corporis sui formam de quo fuerat formata
seruabat. nondum quippe artus illos sic sicut in morte reliquerat. nondum
membra ex membris formata, ex formantibus cogente ui mortis ex
tracta. Unde ergo erat uirile animę corpus in quo sibi luctari cum ad
uersario uidebatur? Si autem non erat corpus, et tamen erat aliquid
simile corporis, in quo sane uerus labor aut uera leticia sentiretur
lamur tandem uides quemadmodum fieri posset ut sit in anima quedam
similitudo corporis, nec ipsa sit corpus? Quid si tale aliquid apud
inferos geritur, et in eis se non corporibus, sed corporum similitudinibus
animę agnoscant? cum enim tristia patimur quamuis in somnis, etsi
membrorum corporeorum sit illa similitudo, non membra corporea, non
est tamen poenę similitudo, sed poena. Sic etiam ubi leta sentiuntur. Sed
quoniam sancta perpetua nondum erat mortua, non uis hinc uel fortasse praescribi,
cum ualde ad rem pertineat cuius esse naturę existimes illas simili
tudines corporum quas habemus in somnis. et tota ista causa finita sit,
si eas esse similes corporibus et non esse corpora confiteris. Veruntamen
dinocrates frater eius mortuus erat. Hunc uidit cum illo uulnere
quod uiuus habuit, et unde perductus est ad mortem. Ubi est quod
tantis conatibus laborasti, cum ageres de percisione membrorum, ne
simul concidi anima putaretur? Ecce uulnus erat in anima dino
cratis.